XXVII.

DISSERTATIO JURIDICA, DE DIVORTIO,

Quam

Divino Favente Numine,

AUCTORITATE

Magnifici JCtorum Ordinis in Illustri Salanâ,

PRÆSIDENTE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO


DN. ERNESTO FRIDERICO SCHRÖTERO, J. U. D. Hæreditario in Wickerstett/ Prof. Pandectarum Publ. Celebratissimo, Consiliario Saxonico eminentissimo, Curiæ Provincialis, Scabinatus, & Facultatis Juridicæ Assessore gravissimo, & h. t. Decano spectabili,

Dn. Patrono atque Præceptore suo filiali cultu æviternùm colendo,

Publico eruditorum examini submittit

BARTHOLOMÆUS FRIDERICUS Schobiß/ QUERFURDIA-SAXO, AUTOR,

In Auditorio JCtorum, Ad d. Marti.



JENÆ,
Typis SAMUELIS KREBSII.
ANNO M DC LXII.

queat; Idque est vel tacitum vel expressum. Ex pressum est ab alterâ parte alteri, verbis testatò conceptis, *facta* renunciatio seria, & his quidem inter præsentes ore prolatis, vel ad absentem per nuncium, aut epistolam (qui libellus repudii vocatur) transmissis. Tacitum est, quod ex facto quopiam interveniente præsumitur missum cujusmodi est, si tempus futuris nuptiis præfinitum, sine culpa illius, qui ab illis liberari cupit, est præterlapsum, *Beust. part. 1. c. 10. §. 3.* vel si moram faciat nuptias adornandi sine justâ caussa, præsens ultra biennium *l. 2. C. de sponsal.* absens verò ultrà triennium cùm aliâ contraxerit perfectas, *per c. sicut ex literis 22. Sponsal.* quod in sponsalibus secus se habet: in quibus priora sponsalia, non misso repudio, non tantùm præferuntur posteriobus; sed etiam infamiâ notantur sic desponsi, gravibusque magistratui pœnis obnoxii fiunt, nisi, qui cum ante de sponsata contraxit, priorum sponsalium ignarus fuerit, exceptis sponsalibus sub conditione contractis, quæ consummantur, antequam conditio extiterit, per sequentia purè contracta *Beust. de Sponsal. c. 10. §. 18.*

III. Hoc autem interest inter divortium & repudium, quod repudium pertineat ad sponsam & futurum matrimonium, cum vel uterque vel alteruter promissas recusat nuptias, & ita à pactione disceditur. Divortium verò ad uxorem & constans matrimonium, cum nimirum propter alterius conjugum culpam dirimitur *l. 191. l. 101. §. 1. de V. S. l. 2. pr. §. i. l. 3. h. l. 14. §. 2. qui & quibus manum.*

IIII. Et quanquam, ut jam ostensum, divortium à repudio differat, repudium tamen in personam uxoris quoque non absurdè cadere statim addit Modest: *in d. l. 101. §. i.* & sæpius alterùm pro altero usurpari *ex d. L. inter stuprum §. divortium, junct. gl. ibi de V. & R. S.* patet, atque sic accipitur *in L. 3. h. t. L. 12. de ritu nupt. l. 39. solut. matrim. L. 3. 6. 8.*

C. de

C. de repud. ut ita repudium genericè usurpetur pro separatione, quæ vel inter Sponsos fit, vel inter conjuges. Sponsam quoque à sponsà divortiū facere dicitur in *L. 8. condict. causa dat. ut notat Accurs.* quod tamen καταχρηστικώτερον *juxta Gœdd. ad L. 101. §. 1. n. 1. in fin. & Alb. Gent. de nupt. 6. c. 1.* Præterea tam latè patet divortium, ut etiam in matrimonio nec dum carnali copula consummato fieri dicatur: siquidem nuptiæ non tam ex coitu, quàm consensu æstimantur *L. 30. de R. J.* Congugium est, non cùm virili cognoscitur admixitione virgo, ut perquam scitè notat doctissius Politicorum Arnisæus *in Comment. Polit. de jure Connub. c. 6. sect. 2. n. 3. §. seqq.* ubi etiam notat falsum esse & in scholis ICtorum inauditum, quod Bellarminus *lib. 1. de matrim. sacr. c. 14. in pr.* scribit, IC. sub nomine divortii complecti dimissionem quoad thorum, & de hâc fieri etiam mentionem in *t. de divort.*

V. Definimus (vocabulis in proprià significatione sumtis) Divortium esse separationem, quæ inter conjuges fit eo animo, ut nunquam redintegretur matrimonium *l. 3. & 9. h. t. l. 191. de V. S*, quia verò ICti ipsi per discessionen, h. e. actum definiunt, intelligimus per contractum non rectè definiri à Cujac. *in l. 12. §. 1. de pact. dot.* Nec movere nos debet *l. 42. de jud.* siquidem in qu. de foro competente voce contractus omnis obligatio intelligitur *l. 20. d. t.* Et qui accuratius adhuc definire divortium velit, discernere debebit inter jus & mores. Ex juris regula enim est effectus solennis *v. l. 35. de donat. inter virum & ux. l. 2. §. 1. & 2. h. t,* quo conjuges testantur, se matrimonium velle dissolvere *l. 3. & 7 h.* Sed quo ad mores nostros Divortiū est legitima separatio mariti & uxoris cum causæ cognitione apud competentem judicem, seu ipsius vinculi, seu thori & mensæ tantùm vid. Kitzelius *de sponsal. c. 8. th. 2.* Dicitur legitima separatio, quia debet fieri Secundum LL. præsertim juris divini,

mana erat tam severitas; & morum integritas, à quâ nos hodie quantum absimus, vel eò perspici potest, quod causæ illæ repudii leves hodiè æstimentur excepto adulterio & malitiosâ desertione.

XI. Omissis igitur nunc causis in lege Mosaicâ & jure Civili expressis, quæ hodiè non attenduntur, dicendum erit tantùm de iis, quæ in N. Testamento & jure Canonico sunt expressæ, hodièque in ecclesiis nostris observantur, & quidem primò Jure divino, quod unam solam adulterii causam divortio relinquit, testante Salvatore nostro *Matth. 5. v. 32. & c. 19. v. 9. & luc. 16. v. 18.* Necessè igitur est cœteras omnes esse exclusas. Neque obstat quod D. Paulus 1. Cor. 7. v. 15. desertionis mentionem faciat. Ea enim desertio nihil aliud est, quàm divortium; utitur enim verbo χωρίζεσθαι, quo utitur etiam *vers. 10. & 11.* eodem significatu. Quod verò conjux desertus ab infideli iterum matrimonium contrahendo non committat adulterium, id non ita interpretandum, ut verbis Salvatoris contradicat. Impossibile enim est, ut Spiritus S. sibi ipsi contradicat. Sed ita potius accipiendum, ut cum iis consentiat. Id verò facilè effici potest, si desertionem interpretemur, non de principio desertionis, quod est in libello divortii illegitimo, sed de perfectâ & absoluta desertione, quæ est, cum infidelis vel aliam uxorem ducit, vel cum aliâ init consuetudinem. Tum enim quia non verbis, sed facto violat jure divino & naturali, quo matrimonium adhuc sartum integrumque durabat, adulterium committit, & fideli insonti præbet justam legitimi divortii causam, ut fidelis jure utatur divortio, adulterumque planè repudiet aliique in Domino nubere possit.

XII. Circa hanc autem materiam non inconvenienter quęritur de casu quodã quotidiano. Pone maritus accusavit conjugem de adulterio & pendente illâ accusatione marito

per

per ſententiam injunctum fuit, interim conjugi ſuæ cohabitare. Sed quæritur an maritus non obſtante hâc ſententiâ nihilominus poſſit expellere uxorem? In hâc quæſtione diſtinguunt ita: Aut adulterium eſt notorium, aut aliàs poteſt probari per maritum; Et hoc caſu poteſt expellere conjugē ac ei debitũ naturæ denegare; Panorm. *in cap. fin.* X *de adult. latè Franciſc. Marc: qu. 514. n. 22. cum mult. ſeqq.* Aut adulterium non eſt notorium, neque probatum, & tunc marito non debet obeſſe, neque juri ſuo quicquam derogare, ſi interim cognoviſſet, nec per hoc accuſatio adulterii eſſet ſublata. Gl. & Panorm. *in d. c. fin. de adult.* Cùm autem hic vertatur magnum præjudicium quoad iſtam coactionem, æquum videtur, virum innocentem non eſſe compellendum ad cohabitantum mulieri, ſed ejus, quam offert, admittendam eſſe probationem, ſi non malitiosè utatur dilatione.

XIII. Et divortio quidem, cui adulterium cauſam dedit, non ſolùm quoad thorum, ſed & quoad vinculum ita ſolvitur matrimonium, ut innocenti priori matrimonio dirupto jus ſit denuò contrahere: Quod malè negant Canoniſtæ. Nam & D. Paulus admittit repetitionem novi conjugii, & Salvator noſter cauſam adulterii apertè concedit in divortio, ac loquitur de tali divortio, quo non thorus tantùm ſeparatur, ſed & matrimonium disjungitur *Deut. 24. ad Cor. 7. v. 15. Matth. 5. v. 31. 32. & c. 19. v. 3. 7. 8. 9. Marc. 10. v. 2. Luc. 16. v. 18.* Neque obſtat illud Apoſtoli ad *Rom. 7. v. 2. & 3. & 1. Cor. 7. v. 39.* loquuntur enim illi textus de muliere viro obnoxia; at viro cum aliâ conſuetudinem habenti, mulier ob viri adulterium obnoxia non eſt, quo caſu, ſi innocenti perſonæ divortiũ facere non liceret, ſervituti ſubjiceretur, & contrà quàm D. Paulus *1. Cor. 7. v. 15.* velit, injiceretur laqueus v. 35. atq; daretur Satanæ occaſio tentãdi

 eos,

eos, qui continentiæ donum non habent *v. 25.* Non etiam obstat, quod mulier dimissa, iterum nubens, adulterium comittat, ut & is, qui eam ducit *Matth. 5. v. 32. Luc. 16. v. 18.* loquuntur enim ij textus de muliere dimissa vel divertente extra causam adulterii: quo casu, quia divortium illegitimum est, nullius est effectus: & proinde, quia priori matrimonio adhuc constante aliud contrahitur, non matrimonium contrahitur, sed adulterium. De illegitimo autem divortio argumentari ad legitimum perquam est ineptum. Non obstat etiam illud dictum; erunt duo in carne unâ; Id enim dictum, cùm sumatur de procreationis actu *1. Cor. 2. v. 16.* rumpitur, non cùm fit divortium, sed cùm fit adulterium, sive uxor alium admittat; sive vir aliam frequentet. Jam enim non sunt amplius duo in carne unâ; sed vel tres in carne una, vel unus in duabus. Cùm fit divortium, tûm pœna sequitur violati matrimonii & præcepti divini atque naturalis. Quæ pœna, cùm Deum autorem habeat, non potest, qui divortium facit, non Deo autore, à perfido conjuge discedere, ut quod Deus conjuxit, non jam homo, sed Deus ipse separet. Quâ ratione & illi satisfit objectioni, quam Pontificii ex citato dicto sumunt: quod Deus conjunxit, homo non separet. Imò sunt & plerique Theologorum eâ in sententiâ, posse & hoc casu parti nocenti aliud conjugium permitti, sic tamen, ut in loco delicti non toleretur Wig. *de Conjug. cap. de divort.* Philipp. Melanchl. *in loco de conjug. tit. de modo proced.* Lucas Osiander *in Matth. c. 5. & 19. Luther. in. 7. Tomo Witteberg. p. 171.* Hemming. Bugenhag. & alii quos citat Joach. à Beust. *de matrim. c. 25.* (Harprecht. *ad §. & ij Inst. de nupt. n. 50.* Sic & Magn. Dn. Carpz. *lib. 2. Jurisp. consist. tit. 11. def. 191.* tale subjicit præjudicium: Wofern nun wegen begangnen Ehebruchs nach erlangter Lands Sicherung, bey ihren gewesenen

Ehemanne

Ehemanne die remission und aus Söhnung nicht zu erhalten/ sie auch uff euer zu reden mit unverletzten Gewissen ausser der Ehe nicht bleiben kan/ so können wir nach gelegenheit ihrer Jugend und anderer ümstände geschehen lassen/ daß sie gegen Erlegung 50. Thaler in unsern Kirchē Kasten allhier mit Christoph. S. sich anderweit verehlige/ und die Ehe ohn alles Gepränge/ auch an keinem andern Orte als uff ihren Gute zu S. volln ziehen moge etc. Ex quâ sententia patet, quatuor quoad hanc rem benè esse attendenda. 1. Tentandam esse reconciliationem, cujus si spes aliqua super est, nocenti ad alias convolare nuptias neuti quam concedendum. 2. Graviter partem nocentem esse monendam, ut delictum suum agnoscat, seque indignam judicet, cui novi matrimonii potestas detur. 3. Cavendum, ne propriâ autoritate persona nocens ad novum transeat conjugium, sed magistratus seu consistorii ecclesiastici consensum prius expetat. 4 Ut si omninò conscientia ejus in cœlibatu periclitetur, novum conjugium, hâc demum conditione concedatur, ut pars nocens sedē fortunarum ac domicilii mutet, ubi ejus turpitudo non innotuit, vel saltem mulctam luat pecuniariam, & nuptiæ absque pompâ celebrentur. Prout autem adulterium pro justa causa divortii habetur, ita & Somodia; est enim simile delictum, quo fides conjugalis violatur, Kizelius. *de matr. c. 8. th. 4. lit. 1.*

XIIII. Est & desertiò causa divortii, sive illa facta sit à muliere, sive à marito; inter utrasque enim eadem ratio, ergò idem jus statuendum *L. à Titio. de V. O. c. inter corporalia ibi.* idem juris obtinet in utraque *x. de translat. Episc.*

XV. Est autem duplex desertiò seu absentia; Alia enim est necessaria, seu probabilis, alia verò est malitiosa, docente Saliceto *in l. 1. n. 1. c. de sponsal.* Sunt & alia genera absentiæ *vid. de quib. gl. ad. l. fin. in. verb.* appellare *ff. de restit. in integr.*

tegr. Et Nobiliss. Dn. Præses *in lect. publ. tract. de Absentiâ.* Quando maritus abest ex justâ & necessaria causâ, tunc olim uxorem captivi, de quo dubitabatur an viveret, oportebat expectare quinquenniũ *l. uxor. C. de repud.* Quod rursus correxit Imperat. *in Auth. hodiè C. d. t.* Nostro more v. isto casu, ubi subest justa & necessaria causa absentiæ, uxori non licet alteri nubere, nisi constet de morte mariti *c. in præsentiâ x. de sponsal. & c. Domino x. de Secund. nupt.* ac in dubio maritus non præsumitur mortuus, licet diligenti inquisitione ignoretur, ubi sit, secund. Panorm. *per text. ibi d. c. in præsentiâ n. 4.* Homo enim præsumitur vivere usque 100. annos *l. fin. C. d. S.S. eccles.* Quando autem constat de morte mariti licitè alteri potest nubere, *d. c. in præsentia & c. & d. c. Dominus.* Et quamvis de jure Auth. solennitas exprimatur, quæ observari debet, quando maritus diu abest in expeditione & dicitur mortuus, ut videlicet uxor adeat Ducẽ belli, faciens recipi dicta aliorũ, qui, si deponant de morte mariti, adhuc debet expectare per annum, & posteà demùm contrahere cum alio, aliterque contrahens potest puniri de adulterio; *Auth. hodiè C. de repud.* tamen hæc solennitas juxtà Canonistas non est necessaria, sed sufficit, sive verè constet de morte mariti, sive verisimiliter per fortes præsumtiones, ut quoniam navis in qua erat maritus passa est naufragium, secund. Abbat: in d. c. in præs. Et subjicit Panorm. ad d. c. reliquendum hoc esse arbitrio judicis, qui diligenter omnia ponderando, considerare debet, utrum de morte mariti facta sit certitudo; agitur siquidem hic non de parvo præjudicio, si enim uxor alii nubat, & prior redeat, tenetur redire ad priorem maritum d. c. Dominus. Filii tamen, quod notandum, ex Secundo viro progeniti, erunt legitimi *c. perlatum, x. qui filii sint legitimi.*

XVI. Mali-

XVI. Malitiosam nunc quod attinet Desertionem, de quâ hîc agitur, dicimus eam, quando quis discedit à conjuge, & diutius abest, nullâ honestâ causâ coactus, sed vel levitate vel injustâ impatientiâ freni conjugalis, vel aliis minus necessariis caussis impulsus vagatur. Weñ der Mañ sein Weib vorsetzlicher Weise sitzen läst nud darvon zeucht / Tunc enim uxor divortiũ petere potest, quod nisi ei concederetur, illa tanquam pars innocens sine culpâ suâ privaretur jure suo, quod fieri non debet, *c. desertionẽ §. Nam etsi, x. de eo, qui cogno. consang. uxoris suæ.* Et nequaquã laquei conscientiæ injicien di suntinnocenti personæ propter aliena delicta, cùm delicta suos debeant tenere autores, per *l. Sancimus. C. de pænis.* Et hanc sententiam probant Theologi nostrates & Consistoriales contrà Pontificios & Canonistas, qui nunquam permittunt innocenti parti contrahere, nisi constet de morte mariti, pro que se allegantes *Auth. Hodiè C. de repud.* & dictum Pauli *1. cor. 7. v. 15. Sed text. all.* Sententiæ nostrorum Theologorum ac Consistorialium non obstant, quia loquuntur de absentiâ necessaria seu probabili, quando sc. ut anteà dictum, maritus legitimo modo militiæ ergò abest; nam tunc donec vivit, uxori haut conceditur cum alio contrahere, nisi de morte mariti constet, *all. c. in præsentia,* ubi pulchrè Panorm. *de sponsal. & d. c. Dominus. de Secund. nupt.* Nos verò loquimur hîc de malitiosa desertione, seu mariti absentiâ. Sic quoque non obstat dictum Apostoli *1. Cor. 7.* loquitur enim de persona nocente, uxore sc. discendente à marito, ut ista maneat innupta propter suum delictum sive desertionem. Brentius *in suo lib. de matr. q. ult.* & sic vides, quod in causis matrimonialibus non semper stetur dispositioni juris canonicj, quod tamen volunt Canonistæ *in c. eccles. S. Mariæ de constit. per dispositionem c. fin. de Secund. nupt.* Unde & rectè conjiciunt Theologi, cum diu-

turnâ desertione plerumque conspirare tacitum adulterium, ut eò facilius divortio locum aperiant (vid. Carpz. *lib.3. Jurispr. Consistor. tit. 5. defin. 70. n. 7. & def. 71. n. 1.*) Hæc tamen, quæ diximus, procedunt, si legitimum præcesserit desertionis judicium, & conjugium per sententiam fuerit dissolutum. Joach. à Beust. *d. p. 2. c. 27.* cujus porrò hic existit effectus, ut redeunte licet desertore novum tamen non rumpatur conjugium *l. miles 11. §. mulier 12. ff. ad l. Jul. de adult.* Dn. Carpz. *d. lib. 2. tit. 11. def. 192.* ubi tale habet præjudicium : Dieweil daraus zubefinden/ daß Beklagter / als er zu Acken sich übel verhalten / Klägerin als sein Eheweib bößlich verlassen / so wird der weltlichen Oberkeit die verwirckte Straffe wieder beklagten vorgehalten : Klägerin aber der Ehe halber / von ihm billich absolviret und entbunden / in Massen wir sie hiermit davon absolviren und entbinden / ihr auch in andere Wege sich hinwieder Christlich zu verehelichen verstatten und nach lassen etc.

XVII. Justam quoque divortii causam esse statuunt Theologi & ICti, si ignorante marito uxor ante matrimonium ab alio prius cognita, vel gravida fuerit, testante & referente Beust. *tr. de matr. c. 34. & seqq. Bocer. disp. 9. th. 8. lit. B.* licet jure canonico non vitiet matrimonium talis error *d. c. un in fin. 29. q. 1.* ubi dicitur : error qualitatis non excludit consensum, ut pote si quis vendicârit sibi agrum, vel vineam, quam putabat esse fertilem, qui est sterilis, committeret errorem qualitatis, & tamen non rescindere posset emptionem. Similiter qui ducit meretricem aut corruptam, quam putabat esse virginem &c. Sed non est bona illatio. Quando enim quis ducit corruptam pro virgine ignorans, certè ibi non est error simplicis qualitatis, sed potius error substantialis qualitatis; unde etiam ita expressè cautum est à Leone Imperatore *in suâ Nov. constit. 93.* ubi

 talis

talis reperitur inſcriptio, ut, ſi ſponſa ex alio gravida deprehendatur, ſponſalia reſcindi poſſint. Moventur autem Theologi & conſiſtoriales principaliter lege divinâ *Deut.22.* quæ jubet lapidibus obrui compreſſam ab alio, quæ poſteà tanquam virgo nupſit alteri, ſi ſit ejus nomine accuſata, & vir petat divortium *gl. in c. ſatis, in verb. lapidare 33. q. 5.* & quanquam lex Moſaicâ judicialis ad nos non pertineat, tamen ab exemplo legis Moſaicæ muniuntur conſcientiæ, quia ex lege divinâ certi ſunt Judices, ſe non facere contrà voluntatem Dei, ut ad monet *Philipp. in all. loc. de conjug.* & ſatis declarat *Luther. in ſuo lib.* de *cauſ. matrim.* atque hanc ſecuritatem ſecuti fuerunt & aliæ gentes, ut apud Terentium in Hecyrâ recuſat Pamphilus recipere ex alio gravidam, & apud Euripidem Creuſa, quæ gravida nupſerat, à Pallade fingitur ſupplicio eripi, & Suetonius duplex hoc facinus Auguſti, tanquam Romanis inuſitatum refert, quod videlicet Liviam à Tyberio Nerone marito & quidem prægnantem abduxerit, quia multò intolerabilior eſt error in hoc caſu, quam ſi quis ignorans duxiſſet ancillam, qui tamen error impedit matrimonium *d. c. propoſuit x. de conjug. Serv.* Sic ergò rem decidendam eſſe cenſemus: Quando quis inſcius (Ignorantiam autem ſuam juramento obtinere debet *Dn. Carpz. d. lib. 2. Jurisp. 2. conſiſt. tit. 11. def. 197.*) duxit compreſſam ab alio, & petit ſe ab illâ liberari, tunc judex prius inter alias circumſtantias inveſtiget neceſſe eſt, an ab eo tempore, quo maritus intellexit ſuam ſponſam ab alio ſtupratam eſſe, eam poſteà cognoverit, nec ne, quoniam, ſi hoc factum ſit, divortium ipſi concedendum non eſt. Maritus enim ſciens corruptam eſſe ſuam ſponſam ab alio, & nihilominus cum ipſa conſuetudinem habens, ſive ante nuptias, ſive poſt, ipſo facto conſentit in conjugium, nec errorem valet prætexere. Et in hoc caſu illi honeſtas

non

non patrocinari debet, cùm ipſe honeſtatis decus violaverit. *Magnif. Dn. D. Richter. dec. 90. p. 1.* ubi teſtatur in Dicaſterio hujus loci menſe Sept. anno 1609. ita fuiſſe reſponſum: Woferne Jobſt Spererl ſein Weib von der Zeit an / da er innen worden / daß ſie zuvor von einem Manne beſchlaffen geweſen / berühret / undt dero theilhafftig worden / ſo iſt er von ſeinem Weibe nicht zu ſcheiden. Si vero ipſe caſtam degerit vitam, ab eoque tempore, quo reſcivit ſponſam vel conjugem ab alio impraegnatam, eam amplius non attigit, & manifeſtò appareat defloratio, tunc divortium ipſi concedi poſſe, notat *Beuſt. d. l. add. B. Dn. Ungebaur. Exerc. 3. q. 8.* Et quidem ita, ut pars innocens iterum alii nubere queat; uti teſte jam laudato Dn. Richtero d. l. in Scabinatu hujus loci m. Mart. anno 1640. pro nunciatum fuit: Daß Kläger von denen verordneten des Geiſtlichen Conſiſtorii wegen des von ſeinem Weibe an ihm begangnen / und zur Gnüge erwieſenen unChriſtlichen Betrugs und verübten groſſen Untreu aus nachlaſſung Göttlicher / gemeiner undt Land üblichen rechte von ihr V. S. der Ehe halber billich zu ſcheiden / auch ihm darauff ſich anderweit zu vereheligen nach zu laſſen. Tentanda tamen in Conſiſtoriis prius eſt omni ſtudio reconciliatio, ut deceptus uxorem retineat, ſi ſpes adeſt emendationis & futurae concordiae, aliàs non. *Dn. D. Richter. d. l. Dn. Carpz. d. lib. 2. tit. 11. def. 195.* qui etiam *def. praeced. 194.* hoc tradit: quod & ſtupratae quandoque alteri, praeſertim ſtupratori nubere permitti queat; ſi modo prius admoneatur à novo conjugio abſtinere, & tandem ſi conſcientiae ejus non aliter conſuli queat, matrimonium permittatur, ita tamen, ut abſque ſolenni pompâ, alio etiam in loco, ſi commodè fieri poteſt, nuptiae contrahantur.

XIIX. Infidelitatem quoque & imparem religionis cultum juſtam eſſe divortii cauſam Pontifices & canoniſtae

aſſerunt,

asserunt, *c. Judei. 10. can. 15. c. non oportet 16. cauſ. 28. q. 1. Panorm c. 1. de ſponſal. Covar. part. 2. de matrim. c. 6. §. ult. c. 7. §. 4. n. 8.* Quoniam verò hâc in re Theologi & canoniſtæ non conveniunt, diſtinctione opus eſſe cenſet ſæpè alleg. *Beuſt, c. 37. de matrim.* ubi tres caſus inter ſe diſcernit, qui videri poteſt. Nos licet matrimonia inter fideles & infideles non probemus, ſed ob varia incommoda, quæ naſci inde poſſunt (de quibus pulchrè *Arniſ. de jure Connub. c. 6. §. ult. c. 6. ſect. 5. n. 1. & ſeqq. plurib.*) nullo non modo diſvademus: contracta tamen ob ſolam infidelitatis cauſam reſcindenda non eſſe ſtatuimus cum *B. Dn. Ungep. Exerc. 3. q. 7.* per expreſſum textum *in 1. Cor c. 7. v. 12. 13. & 14. vid. Meisner. in philoſoph. ſobr. ſect. 2. c. 3. Arniſ. d. ſect. 5. n. 40. & ſeqq.* (cui textui omninò major debetur religio, quàm can. judæi *10. d. t. vid. Cypreum c. 13. de ſponſal. §. 77. p. 577.*) & abſonum omninò, quod canones & Canoniſtæ verbum *πορνείας Matth. 19. v. 9.* ita latè extendunt, ut quodvis fermè vitium comprehendat *c. 28. q. 1.* Quibus favet *Grotius in not. ibid ad Matth.* Nam ſi ea mens eſſet Salvatoris, non jam rimulam obſtruxiſſet divortiis, ſed omnem aperuiſſet portam frivolo cuique divortio, maximè cum juxta effatum Chriſti *Matth. 5. v. 27. 15.* is qui vel primo affectu aſpexerit uxorem alterius ad concupiſcendam illam, adulterii reus ſit. Nec opus eſt, ut ad eam interpretationem verbi *πορνείας* confugiant ob locum Pauli *1. Cor. 7. v. 15.* cum is, ut paulò ante oſtenſum, ita explicari poſſit, ut verbis Salvatoris verba Pauli contineantur; Ea enim fuit mens Salvatoris, ne ex qualibet cauſa diſſolvantur matrimonia, ut ſolebat inter Judeos fieri, qui tamen ipſi ob ſolum iſtiusmodi aſpectum nunquam ulli repudium miſerunt, prout hæc omnia oſtendit Juſtus Mejerus *in C. A. lib. 24. tit. 2.*

th. 11. Hoc tamen hic putamus admonendum, quod etiam *Hemming in lib. de conjug. p. 204.* existimat, fœminam impiam in hæresin lapsam, si maritum fidelem tentaret seducere, divortium quoad thorum permittendum esse, cum hoc crimen videatur gravius adulterio, vel etiam, si infidelis fidelem deserat *add. Beza in all. lib. de repud. §. sed quid si fidelis p. 232. B. Dn. Gerb. in loco de conjug. §. 665. & seqq. Casp. Erasm. Brochm. in art. de conjug. c. 2. q. 3. & Dn. Carpz. d. tit. 11. def. 206.*

XIX. De sterilitate & impotentiâ varia etiam disputantur; varii enim sunt casus impotentiæ, sed quia hi sine offensione piarum aurium recenseri non possunt, remittimus lectorem in hâc materiâ ad summam Hostiens. *tot. t. de frigid. & maleficiat: & ad ea, quæ tradit Klingius in suo libell. de caus. matrim. sub rubr. de septimo impedimento.*

XX. Hoc tamen dicimus, quod impotentia alia sit naturalis, alia accidentalis, alia manifesta, alia occulta *Beust. c. 14. de matrim.* Et si quidem impotentia incurabilis præcesserit matrimonium, & innocenti personæ fucus factus fuerit, canones ab initio matrimonium nullum irritumque pronunciant. *c. 1. c. requisivisti 3. q. 8. c. 5. & c. laudab. c. fratern. de frigid. & maleficiat.* Quia autem plerumque lascivæ mulieres de impotentiâ mariti conqueri solent, diligenter inquirendum est à Judice, ut sciat, qualis sit impotentia, de quâ maritus accusatur. Adhibendi igitur erunt Chirurgi cum Medicis, qui maritum inspiciant, & judici hâc de re relationem faciant, ex quâ Judex posteà judicium suum ferre potest. Si verò maritus afferat querelam de impotentia uxoris, tunc judex adhibeat expertas matronas, atque honestas, ipsam inspicientes, quæ post inspectionem mediante juramento dicant, quid sentiendum,

dum, *argum. l. 1. ff. de ventre inspiciend. c. fraternitatis ubi gl. in verb. district. de frigid & maleficiat.* Quando igitur liquido de impotentiâ ante matrimonium constat, tunc statim potest fieri separatio; sin minus secundum Canones partibus injungitur, ut per triennium medicorum, Chirorgorumque ope utendo cohabitent *c. laudab. de frigid. & malef.* At si supervenerit ex paralysi, convulsione, frigidâ intemperie, aut inopinâ castratione, matrimonium copula carnali consummatum, non est rescindendum *c. hi, qui 32. q. 7.* maximè si sine culpâ tale impedimentum uni ex conjugibus accidisset, si autem maritus sua culpa virilia, vel uxor pudenda amisisset, vel aliud irreparabile damnum contigisset, satis durum videtur, quod sanus in matrimonio retineri debeat. Unde meritò dubitatur annon hoc in casu cum parte innocente dispensari possit, quod fieri posse credit Panorm. *in c. ex literis in fin. de frigid. & maleficiat.* Est & illud jure canonico dispositum, si aliquis vel aliqua scienter contraxisset cum impotente, licet vir hoc casu mulierem impotentem non possit habere in uxorem, quod tamen teneatur habere ut Sororem & fratrem *c. consultationi de frig. & malef.* Ratio, quia persona alterius vitii conscia procul dubio fraudem meditata fuit, undè, si divortium petat, fraus illi prodesse & patrocinari non debet *l. 1 ff. de dolo & contum*: Si verò ex ligatura magicâ (quam ita frequentem in totâ Galliâ esse testatutur Arnis. ut plerumque sponsi Missis nocturnis, antequam lucescat, copulentur, ne ab incantatoribus per lucem conspiciantur) canones post tertium annum exactum, si ligamen intereà solutum, nec potentia generandi restituta sit, integræ parti novarum nuptiarum copiam faciunt *c. 1. c. laudab. 5. c. fratren. 6. ibique gl. c. fin. de frigid. & malef.* quod rectè improbat Arnis. *de jure connub. c. 6. sect. 8. n. 22.*

Idem auctor *d. sect. c. 7.* in eo quoque benè sentit, dum vitanda quidem furiosorum, leprosorum & aliis contagiis insanabiliter infectorum matrimonia dicit: legitimè tamen contracta dissolvi debere negat, cum infortunia, quæ Deus mittit, patientiâ potius sint superanda, quam temerario & sacrilego ausu, contrà dictamen divinæ voluntatis excutienda, semper occinente divinâ voce: Homini fas non est separare, quod Deus conjunxit. Inque hanc sententiam & Canones inclinant *c. quod proposuisti c. requisivisti 33. q. 1. c. b. 1. qui c. neque furiosus 32 q. 7. c. 1. & 2. ubi Panorm. de conjug. lepros. c. consult. 4. de frigid. & malefic.* cum quibus & consentiunt Theologi *Menz. de matrim. t. de divort. Wigand. de divort. Melancht. de conjug. add. Beust. de matrim. p. 2. c. 11. & 14. Dn. Carpz. d. p 2. tit. 11 def. 202.*

XXI. Jure civili itidem non est dubium, furorem concontractas nuptias haud dissolvere, sive sit per petuus, sive non, *l. furor. de sponsal. l. oratione. de ritu nupt. l. si cum dotem § si maritus. d. t.* Ita enim maritus & uxor copulati sunt, ut læta & tristia simul tolorare debeant, ac etiamsi uxor furiosa sit, tamen adhuc caro tua est, uti Philipp. Melancht. *in cit. loc.* loquitur, nisi furor nimis sit ferox & perniciosus *l. 22. § 7. solut. matr.* Leo tamen Imperator *Nov. 3. & seq.* dissolutionem concedit, expectato prius triennio à marito, si uxor furere cœperit, & quinquennio ab uxore sit maritus, vid. A. Gent. *l. 3. c. 7. & lib. 6. c. 18.* & Beust. *p. 2. de matrim. c. 12.*

XXII. Ob veneficium, vitæ machinationem & nimiam mariti sævitiam inter conjuges, quoad thorum & mensam divortium concedi posse statuunt Dd. ad *c. 1. 2. de divort.* Covarr. *p. 2. c 7. § 5. n. 1.* Schurff. *cons. 42. cent. 1.* Schneidevv. *ad tit. 10. Inst. de nupt. part. 4. n. 19.* Joach. Beust. *p. 2. d. matrim. c. 9. & 10.* Bocer. *c. l. disp. 9. th. 81. lit. C. in not propter*

Novr

Nov. ſanè 117. c. 14. ſed fit ſaltem ſeparatio inter maritum & conjugem ad certum tempus, propter reconciliationem, quæ intrà illud tempus ſperatur. Niſi alter conjugum mortem alteri machinando continuas ſtruxerit inſidias, vel veneno vel alio modo *c. 1. & 2. ubi gl. & Dd. X. de Divort. L. conſenſu, ubi* Legiſtæ *C. de repud.* Tunc enim cenſetur ſubeſſe cauſa divortii *c. literas in fin. & d. ex transmiſſa.* Dionyſ. de Franciſcis *in conſil. matrim. conſ. 58.* Judex autem prius in id incumbat, an mulieri poſſit provideri remedio cautionis; non enim ſtatim ad ſeparationem properandum eſt, Panorm. in *d. c. literas n. 7.* Pariſ. *conſ. 54. n. 36. vol. 4.* Pono caſum, ſi mulier à marito propter nimiam ejus ſævitiam diſcedat, tunc maritus debet compelli, ut ſufficientem præſtet cautionem, vel per pignora, vel fidejuſſores de non offendendo vel malè tractando *c. ex transmiſſa, ubi gl. in verb.* ſufficiente cautione, *de reſtit. ſpoliator.* Hoc ſi fecerit, mulier poteſt cogi, ut ad eum redeat, aliàs minùs. Et ſi maritus non poſſet præſtare cautionem per fidejuſſores & pignora, cùm difficile ſit invenire fidejuſſores *L. 2. §. ſi dubitetur. de donat. inter vir. & ux.* ſtandum eſſet ejus juratoriæ cautioni, ut tradit Hippolyt. Riminald. *in conſ. matrim. conſ. 81. n. 37.* Dn. Carpz. *d. p. 2. tit. 12. def. 219.* ubi formulam juramenti tradit. Etſi Bald. *conſ. 240.* dicat, uxorem non teneri redire ad maritum, ſi ipſius timet ſævitiam, quanquam maritus caveat ac juret de eam non offendendo. Et notandum, quando maritus expulit uxorem de domo, vel uxor propter ejus ſævitiam aufugiat à marito, quod tunc maritus tenetur ei præſtare alimenta, quando ſc. propter culpam mariti abeſt, ſecus ſi ſuâ culpâ, ſecund. Cyn. & Bald. *in L. quod in uxorem C. de negot. geſt.* Dn. Carpz. *d. t. def. 213.* Niſi velit reſtituere bona illata, eaque ad alimentationem ſufficiant. Idem *def.* 214. Sed ſi nunc cau-

 tionem

cautionem præstiterit maritus, mulierque ipsi, quæ anteà discesserat, iterum cohabitaret, maritus verò suæ cautionis & promissionis immemor, rursus ut anteà eam malè tractaret, sibique frenum injici non curaret, sed nihilominus in uxorem sævire pergeret, ita, ut absque vitæ periculo ei amplius cohabitare non posset, omnisque reconliatio frustrà tentata esset, & uxor desideraret auxilium judicis, ut per divortium & separationem realem eam à marito liberaret, Quæritur an ei, tanquam parti innocenti concedi queat alii nubere, & quidem si subesset insanabilis sævitia? In hac quæstione variæ habentur Theologorum sententiæ. Hemming. *p. m. 170.* allegans autoritatem Philipp. Melancht. *in suo lib. de conjug.* decidit, omnimodam peracto triennio hoc casu separationem locum habere. Eandem sententiam præbet Chytræus in Comment. *in Marc. c. 19.* qui ad hoc allegat Constit. Theodosii positam *in L. consensu C. de repud.* Econtrà verò negativè concludit Brent. *in suo libell. de caus. matrim.* parti nimirum innocenti non concedendum esse aliud matrimonium. Cujus à parte etiam stat Sarcer. *lib. suo de caus. matrim.* ubi multos sic refert concludentes. B. Lutherus. autem judicis arbitrio relinquit, qualiter conscientiis consulere velit, uti & Wigand. *in suo lib. de divort.* JCti verò Jus Canonicum, quatenus verbo divino non repugnat, sequentes, non concedunt totalem separationem, ita, ut pars innocens cum alio posset contrahere, sed saltem quoad thorum & mensam, h. e. zu Tisch und Bett. secund. Schneidevv. *in Inst. tit. 10. part. 4. de nupt.* Et quia novum testamentum saltem divortii causam adulterium & malitiosam desertionem dictitat, non secund. all. Leg. Theodosii est procedendum; permittit enim repudium quoque propter delictum capitale, ab unâ parte perpetratum, & sic concedi etiam deberet totalis liberatio,

ita,

ita, ut pars innocens non cogeretur cohabitare parti nocenti; ſed contrarium pronunciatur, nempè quod pars innocens cogatur ſequi partem nocentem, vel cœlibem vitam vivere, ut docet Schneidevv. *in all. locis.*

XXIII. Affinitatem cum divortio habet (1) à Canoniſtis introducta Thori ſeparatio, quæ permultis in caſibus, ubi ſat graves cauſæ ad dirimendum matrimonium non ſunt, neque tamen affectio maritalis eſt inter conjuges, ex religione judicantis adhiberi poſſe videtur, ſecund. Weſenbec. *ad ff. h. n. ult.* Deindè & ſecundo ſimulata divortia, uti nuncupantur. *l. 94. de donat. inter vir. & ux. l. 27. de. pact. dot.* ſive jurgia *d. l. 27. l. 31. de jure dot.* Ulpian. verò novo & nunquam ullibi aliàs reperto vocabulo, teſte Alciat. *ad l. 191. de V.S.* Frivuſculum ſive fribusculum nominat *in l. 32. §. 12. de don. inter vir. & ux.* unde germanicum Frevel ſive potius à frivolo: unde & frivuſculum Scip. Gent. *lib. 3. de donat. inter vir & ux. c. 20.* Arniſ. *de jure Connub. c. 6. ſect. 2. n. 9. 10.* Auſonius appellat noxiam. Sæpè in conjugio fit noxia, ſi nimia dos eſt.

XXIV. Porro conjugium diſſolvitur quoque Morte *L. 1. h. t. & 1. Cor. 7. v. 39.* Ideoque qui nexum conjugii extendunt in infinitum, & obligari arbitrantur quoque poſt mortem, vanâ ſuperſtitione & probi amoris prætextu veritatem & ſacras literas luſui habent. Arniſ. *de jure connub. c. 5. ſect. 2.*

XXV. Matrimonium denique etiam disjungitur, ſi contigerit ſervitus utrius conjugum *juxt. l. 1. h. t. l. 56. ſol. matrim.* Hodierno tamen tempore per ſervitutem quoque pœnæ conjugia diſſolvi nequeunt, cùm ſervitus pœnæ ſit ſublata *pèr Nov. 22. c. 8.* Si verò libertus aut liberta, eorumve liberi propter ingratitudinem poſt contractas nuptias in ſervitutem redigantur, matrimonium jure d. N. ſolvitur.

Quod

Quod si cum servo vel servâ, quasi cum liberis hominibus ab ignorante contrahantur nuptiæ, ab initio nuptiæ non sunt & agnitio servitutis non solvit matrimonium, cum tamen consensus, malignitas aut negligentia Domini accesserit, si servus & ancilla liberentur, eo ipso validum est matrimonium *juxt. d. N. 22. c. 9. 10. & 11.* Hactenus de caussis divortii vel pleni, vel minus pleni, quæ & separatio quoad thorum & mensam appellatur.

XXVI. Quare autem, ut suprà dictum, serò ad divortium confugiendum, pauculas lubuit addere rationes, & quidem primò propter favorem liberorum, qui imperat, difficiliorem debere esse matrimonii solutionem, cùm illa ad liberorum cedat ignominiam & perpetuam turpitudinem. Facit & huc dignitas conjugii, ac autoritatem suam hic quoque interponit Christus seriò & graviter statuens de conjugio *Matth. 5. 19.* Naturæ insuper etiam repugnat, eam, quæ tibi juncta est socia, diuque cum ipsâ vitam vixisti, & una cum illa factus es caro, cui te tuaque omnia commisisti; præsertim si inde sit soboles, pignora mutui amoris, eam inquam dimittere. Non nisi ergò gravissimæ subsint caussæ, & extremum prius quippiam tentatum fuerit, divortium est permittendum. Huc facit & illud *Eph. 5.* ubi Typus Christi & Ecclesiæ ab Apostolo ad matrimonii commendationem applicatur. Nam illud conjugii vinculum ita ostendit debere esse inviolabile, perpetuumque illum amorem & adeò inter conjuges castum, qualis est Christi respectu suæ ecclesiæ. Quamvis enim apud Romanos & alias gentes, uti sub initio statim dictum, mos divertendi erat frequentissimus Beust. *c. 8. de matrim.* quemadmodum & de C. Sulpitio ferunt, uxorem dimisisse, quod nudo capite forâs prodiisset; apud nos tamen alii sunt mores, alia tempora. Denique si expendamus incommoda & calami-

tates

tates diſcedentium per divortium, meritò utique deteſtandum erit hoc remedium, nec minus inviti, quam ægroti amaras ſumunt potiones, admittemus. Etenim ſine infamià vix fieri poteſt, aut certiſſimè ſine aliqua inconſtantiæ notâ; & eſto illas etiam de eſſe, dolor tamen & cruciatus non deeſt propter conjugis turpitudinem: Taceo ſi ſint liberi, quanta has conſequatur ignominia. Quare piè ac religioſè L.L. Conſiſtoriales jubent extrema experiri, antequam hûc deſcendatur. Et in hoc eleganter conſentiunt cũ Juſtiniano, qui in Codice infauſtum hoc, attamen neceſſarium appellat auxilium, dum hæcce tradit: Sicut enim ſine juſta causâ diſſolvi matrimonia juſto limite prohibemus, ita adverſa neceſſitate preſſum vel preſſam, quamvis infauſto, attamen neceſſario auxilio cupimus liberari *juxt. l. 8. tit. 17. C. de repud.* Atque hæc de divortiis dicta ſufficiant, qui volent ſcire plures divortii cauſas, videant Theodoſ. & valent. *in l. conſenſu C. de repud.* & Juſtin. *in alleg. Authenticis.* Quas cauſas omnes ibi gl. his verſibus complexa eſt.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultùs diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis,
Hæc ſocianda vetant, connubia juncta retractant.

Corollaria.

I. An ſolus conſenſus verum matrimonium conſtituat? Aff. per l. nupt. *de R. J.*

II. An matrimonium à liberis citrà parentum conſenſum, licet juramento firmatum, reſcindi poſſit? Aff. jure divino per text. Num. 30. & civili per l. non dubium in fin. ubi eleganter Jaſ. C. d. Legib.

III. An matrimonium poſſit conſiſtere inter patrem ſpiritualem & filiam ſpiritualem? Neg. per l. ſi quis alumnam, in fin. C. de nupt.

IV. An parentes possint cogere liberos ad ineundum matrimonium? Neg. per l. nec filium in pr. l. non cogitur ff. de ritu nupt: L. filiofamilias ff. de sponsal.

V. An parentes Cogi possint consentire, si filia nubit honesto & sibi digno viro? Aff. per l. viduæ c. de nupt:

VI An consensus contrahentium in contrahendis nuptiis magis attendendus, quam parentum? Aff. per text. in c. de nupt. ibi quorum unum corpus est. 31. q. 2.

SOLI DEO GLORIA.

Præstantissimo atque Politissimo

DN. BARTHOLOMÆO FRIDERICO Schobiss/ J. U. Cultori.

Cathedram juridicam conscendenti.

S. D.

Dum linguâ & calamo gnarus *divortia* tractas,
Cum Musis firmum sit TIBI *Connubium.*

Ita precor

Joh. Ern. Gerhardus
S.S.Theol.D & Prof.P.

Postquam Divortî *Naturam exponere, gestis,*
Sat nobis studium prodis, Amice, *tuum.*
Egregium thema sumsisti, doctâq; Minervâ
Tractasti. Doctè fac tuearis idem.

fest. Cal. de prop.
PRÆSES.

Per campos volat æstivos hyblæa volucris,
Colligat ut dulces sub sua tecta favos,
Sic *juris* gnavus pertransis amœna vireta,
Amplos ut fructus, dulcis *Amice*, legas.
Quod nunc ostendis cathedram dum schemate docto,

Ascendis:

Aſcendis: Cœptum perbenè cedat opus.
erge ita: Sic virtutis præmia digna capeſſes,
Sic fies *Patriæ* fida columna tuæ.

Ita amicitiæ conteſtandæ ergò Dn. Reſpondentem acclamabat

M. Joh. Pilling.

SO recht! ſo muß man ſich empor zu Ehren ſchwingen/
Und durch viel Sorg' und Müh' zum Ehren Krantze dringen/
en Fama denen giebt/ die zarte Tugend lieben/
nd ſich ohn unterlas mit Bücher wetzen üben.
enn was die Erde hat/ in kurtzer Zeit vergehet/
in tugenthaffter Nahm nur immerfort beſtehet:
ieß hat Herr Schobiß ja mit reiffen Sinn betrachtet/
nd nur das Tugend Lob vor ſeinem Zweck geachtet:
leich wie das Blumen Feld mit ſchönen Roſen prahlet.
o iſt er ům und ům mit Tugenden bemahlet.
it edler Gottes Furcht die zu den Himmel führet/
ſt nur ſein Lebens Lauff/ und all' ſein Thun gezieret/
vollo liebet ihn/ ſein klug begabtes Sinnen/
ird aus gebreitet ſchon von Chor der Caſtalinnen.
rům ſoll man billich ihn mit vollen Munde loben/
eil auch der Muſen Schaar Ihm ſelbſt mit Ruhm erhoben.
as kan ich aber viel/ von dir mein liebſter ſchreiben/
aß dir zur Ehr und Lob nach dieſem möchte bleiben/
ein Geiſt iſt viel zu Schwach/ es iſt mir faſt nicht müglich
on deiner Tugend Pracht und Kunſt zu reden füglich;
n ieder der dich ſieht/ und höret wil dich ehren/
nd deine lobſamkeit mit vielen hundert mehren.
in Gott der Himmels Fürſt/ woll' ferner dich regiren/
d auch ie mehr und mehr mit Kunſt und Tugend zieren.

Hiermit wolte dem wohlgelahrten Herrn Reſpondenten als Brüderlichen Freünde und viel geehrten Herrn Tiſchgenoſſen bedienen

Rudolph. Heinrich. Weſterman. SS. Theol. & Phil. Stud. Petr. Weſtph.

Wie

WIe rühmlich stehet das wenn man sich dem ergiebet/
was hier die Welt hochacht/ und selbsten Gott auch liebet/
Und wie man doch wohl möcht denselbem kommen bey/
Das iederzeit und noch nechst Gott das beste sey.
Denn Tugend ist ja doch das beste von der Erden/
Und wer dieselbe hat / den kan nichts höhers werden.
Die hat Herr Schobis auch / nicht wenig hochgeacht/
Sein Sinn hat fort für fort nur stets dahin getracht/
Daß er erlangen möcht den Lohn der edlen Tugend/
Jetzt in der besten Zeit und Blüthe seiner Jugend.
Sie! ietzt hat er / wornach Er längst getracht / erlangt/
Anitzo siehet man/ wie Er mit Tugend prangt..

Zu stets werenden Andencken hat dieses seinem
Brüderlichen Freunde wollen beyfügen.

Jeremias Ludov. Reinmann LL. Stud.


NOn est cujusvis cathedram conscendere juris
Quod Schobis valeas, nobile das specimen.
Hoc iter ad metam cursu si tendere pergis,
Omnia leta dabit gratus Apollo TIBI.

Ex affectu planè fraterno Barth. Frid. Scobisio amico
& contubernali suo hæc addere debuit.

Johan. Schlepegrell. Jur. Stud.

So recht/ mein werther Freund/ und wahrer Themis Sohn/
Es hat Appollo Euch versprochen schon den Lohn.
Itzt rüfft die Musen Schaar das Chor der Castalinnen/
Und trägt demselben vor/ das fleissige Beginnen/
Sa man von euch verspührt. Sie geben euch dein Preiß/
Daß euch die Tugend liebt/ und rühmen euren Fleiß/
Biß an das Wolcken Dach; ist daß nicht grosse Ehre?
Nun / diß mein wünschen ist / daß sie Gott täglich mehre.

Dieses setzte zu schuldigen Ehren eiligst hinzu
Friederich Müller von Alstet
LL. Stud.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.